



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Cap. II. De Statu & obligationibus Religiosorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**



TRACTATUS  
CAPUT II.

*De Statu & obligationibus Religiosorum.*

Q. I. Quid est Status Religiosus?

Resp. Quid est stabile vitæ institutum, ab Ecclesia approbatum, & tendens ad perfectionem Christianam per tria vota paupertatis, castitatis & obedientiæ. Ad ejus essentiam tria requiruntur. I. Tria illa vota, quæ substantialia vocantur, eaque perpetua de se & ex parte voventis: nam Religio est stabilis quædam forma vitæ perducens ad perfectionem charitatis per primaria Christi consilia, quibus remouentur præcipua impedimenta, & homo se suaque omnia consecrat Deo in perpetuum holocaustum. Non necesse est tamen, ut sint solemnia; nam qui in Societate Jesu vota simplicia emittunt, sunt verè Religiosi, ut definiit Gregor. XIII. Bulla *Ascendente Domino*. quia per vota simplicia potest fieri traditio irrevocabilis ex parte voventis in perpetuum Dei obsequium: quæ sufficit ut quis constituatur in statu Religioso; nam ad statum propriè dictum non requiritur immutabilitas omni modo, sed satis est quod religiosus se ipsum votorum vinculis liberare nequeat, ut patet in seruo, qui rectè dicitur esse in statu servitutis, quamvis possit à Domino manumitti. Hinc vota Religionis alia sunt simplicia, quæ fiunt sine solemnitate; alia solemnia,

nia,



nia, quæ fiunt cum certa solemnitate ab Ecclesia instituta. Quæ solemnitas juxta multos in eo consistit, ut vota emittantur sub certa regula à Sede Apostolica approbata, juxta ritum substantialem in eadem regula præscriptum, cum traditione & acceptatione ex utraque parte perpetuis, & viâ ordinaria indissolubilibus. 2. Approbatio Ecclesiæ, quia Ordo Religiosus est status supernaturalis distinctus à communi statu Christianorum, & sacra quædam communitas, in quâ debet esse spiritualis jurisdictio in utroque foro. Hæc reservata est Papæ in Conc. Later. & Lugdun. 3. Traditio facta Superiori ut Ministro Dei illam acceptantis, quâ vovens se totum Deo in Religione dedicat, & Religioni propter Deum tradit irrevocabiliter ex parte sua.

*Q. 2. Quenam requiruntur ad valorem professionis Religiosæ?*

*Resp.* Sequentia 1. Certa ætas, quæ ex Trid. sess. 25. c. 15. est annus 16. completus. 2. Ut non fiat nisi post annum integrum & continuum probationis, ibid. Dico *continuum*, ita ut si novitius vel die uno Religionem deseruerit, reversus debeat rursus integrum annum probationis conficere, ut validè profiteatur. Imò duarum horarum interruptione reddi novitiatum nullum resolvit S. Congregatio, teste Fagnan. ad cap. *ad nostram*. de regular. nam ex Canonistis dum in aliquo decreto requiri-



quiritur aliquod tempus, illud debet esse continuum. 3. Ut non fiat cum vinculo matrimonii consummati, aut sine consensu conjugis, ex c. 3. & c. 12. *de convers. conjug.* 4. Ut proficiens nullum habeat impedimentum in illo ordine essentiali, quia per illud redditur inhabilis ad Professionem hujus Religionis, nec ejus traditio verè acceptatur. 5. Emissio trium votorum substantialium spontanea, non fraude nec metu injusto extorta, quæ sui ipsius traditionem complectitur. 6. Acceptatio traditionis facta nomine Dei & Religionis ab habente potestatem illum incorporandi tali Religioni, c. 13. *de regular.* nam professio fit ad modum contractus onerosi utrimque obligatorii, quo professus fidem suam adstringit Deo, traditque se Religioni propter Deum, & Religio ipsa obligatur ad eum, tanquam membrum suum tractandum, alendum, curandum, gubernandum, retinendum secundum Religionis institutum. Ergo requiritur qui juxta cujusque Religionis decretum, habeat potestatem & voluntatem admittendi nomine Religionis, & obligandi Religionem.

Eadem requiruntur, ut Vota simplicia Societatis nostræ sint valida: nam per illa quis verus Religiosus efficitur, & non solum Deo sed etiam Societati obligatur tradens se illi; & Societas quoque obligatur ad ipsum alendum, gubernandum, imò & retinendum nisi iusta  
caus.



causa illius dimittendi subsit, ut constat ex suis  
Constitut. & Bullis SS. Pontificum.

Observe 1. Professio fieri potest vel expresse vel tacite. Expresse fit, cum quis utitur formula promissionis, quæ voluntatem se Deo & Religioni obstringendi ac tradendi explicet. Tacite fit tripliciter. 1. Cum quis exacto probationis tempore defert per triduum habitum professorum, ubi is aliquo signo distinctus est. c. 3. *de regul. in 6.* 2. Si tali habitu suscepto faciat aliquod opus professis proprium, ut si in Capitulo suffragium dederit, cap. 4. *de regul.* 3. Si ex ea Religione, ubi novitii & professi eundem habitum habent, deferas habitum per totum annum, eo expleto censeris professus, c. 1. *de regul. in 6.* & *Clement. II. de regul.* debent autem hæc fieri animo profiteri, & consentiente illo cujus est admittere ad Religionem.

2. Ex Trident. sess. 25. c. 19. qui emisit professionem nullam propter vim ac metum, vel defectum ætatis, aut quid simile, potest reclamare intra quinquennium à die professionis, causas nullitatis deducendo coram superiore & ordinario, retento semper habitu. Sed post quinquennium non debet audiri.

3. Ut Professio, quæ nulla fuit ab initio, valida fiat, necesse est ut ipse sciens esse nullam, postea ratam habeat, vel certè apud se ita statuat, volo illam esse validam, etiamsi fortè ob aliquam causam ab initio valida non fuisset.

*Tom. III.*

D

Non



Non enim satis est eam ratificare, ex eo quod putetur ab initio fuisse valida: quia hæc ratificatio ex errore proficiscitur, unde non est voluntaria, cum incogniti nulla sit voluntas; & ignorans nullitatem votorum non censetur contraxisse novam obligationem diversam à priore.

4. Ex communi, cætera vota simplicia extinguuntur per professionem, saltem si profitens velit commutare, cap. 4. de voto. quia talis commutatio est evidenter in melius: nam (ut ait S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 1.) *Omnia alia vota sunt quorundam particularium operum; sed per Religionem homo totam vitam suam Dei obsequio deputat.* Sed controvertitur an ad hanc commutationem requiratur ut profitens illam intendat, nec ne. Quare Suarez consulit ut profitens admoneatur de huiusmodi commutatione facienda.

5. Professus obligatur ad tendendum ad perfectionem: nam ex vi suæ professionis tenetur velle statum suum servare, & secundum illum vivere. S. Th. q. 186. a. 2. & est communis sent.

**Q. 3.** *An Papa potest dispensare in Votis solemnibus ex gravi causa?*

*Resp. Aff. Ita communis.* Quia 1. Solemnitas votorum est ex solo Jure Ecclesiastico, ut constat ex c. unico de voto in 6. & ex constit. Gregor. XIII. *ascendente Domino* ergo potest eadem



dem auctoritate tolli, ergo Papa potest in votis solemnibus dispensare, perinde ac in simplicibus. 2. S. Pontifices saepe in his votis dispensarunt, ut cum Ramiro Rege Arragoniæ, Casimiro I. Rege Poloniæ Religionis professis, & aliis apud Cajet. Azor. & alios. Nec obstat cap. 6. de statu Monach. ubi Innoc. III. dicit: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa Regulae Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Quia solum vult sine abdicatione & castitate statum religiosum non posse consistere, etiam cum licentia Papæ; ac proinde Papam non posse dispensare cum Monacho manente in Statu Religiosi professi. At de plenitudine potestatis potest aliquem extrahere ex illo statu, ad contrahendum matrimonium ob gravem causam, v. g. ut religio & pax in Regno firmentur.

Q. 4. *An Religiosi sunt capaces Domini rerum temporalium?*

Resp. I. Religiosi non solemniter professi possunt in particulari habere dominium bonorum temporalium, licet non possint de illis pro libito disponere, nec iis uti sine licentia superioris. Constat ex Constit. Gregor. XIII. *Ascendente Domino.* sic statuente de iis, qui post probationis biennium vota simplicia emisissent in Societate Jesu. Quare non est de essentia paupertatis religiosæ, ut privet dominio,



minio, sed solum ut privet potestate utendi & disponendi pro libito & sine licentia superioris, & ut illo volente obliget ad abdicandum suarum rerum dominium. Enimvero dominium, cujus usus ita impeditus est ac dependens, & alienatio sic obstricta & debita parvi momenti est; tuncque non plus habes in temporalibus rebus potestatis, quae exerceri possit ad libitum, quam is qui caret Dominio.

*Resp. II.* Religiosi solemniter professi possunt habere in communi dominium bonorum temporalium, ita ut illud sit penes communitatem, ex *Trid. sess. 25. c. 3.* quia neque ex ordinatione Ecclesiae, neque ex intentione votantium communitas religiosa fit incapax Domini: & aliunde intentio fidelium bona religiosorum donantium est transferre illorum dominium in communitatem religiosam. Haec tamen non habet dominium illorum absolutum ac liberum, sed ligatum ac restrictum ad congruam sustentationem religiosorum & pios usus, ita ut non possint in usus profanos impendi sine injustitia. Nam haec bona sunt Deo dicata & donata solum ad pios usus; eademque est ratio illorum ac aliorum bonorum Ecclesiasticorum. Porro bona religiosorum immobilia, & mobilia pretiosa, quae servari possunt, alienari nequeunt, nisi in commodum religionis: nam sic à jure statutum est; haecque est intentio donantium, ut religio perseverare possit. *Resp.*



*Resp. III.* Religiosi solemniter professi sunt in particulari incapaces omni domini, usufructus, & similis juris bonorum temporalium, sive mobilium sive immobilium. Est *communis*, & certa, inquit Lessius: nam Ecclesia hanc incapacitatem annexuit solemnii voto paupertatis, sicut & incapacitatem matrimonii solemnii voto castitatis. Item in nostra Societate Coadjutores formati sunt incapaces omnis Domini, nisi à Societate legitime dimittantur: quia Ecclesia hanc incapacitatem annexuit illorum votis licet tantum publicis, non solemnibus. At Religiosi professi retinent dominium famæ, & jura merè spiritualia: nam his non renuntiant, & Ecclesia eorum voto annexuit incapacitatem domini rerum duntaxat temporalium.

*Resp. IV.* Religiosi professi Beneficarii, ut Abbates, Priores & similes habentes Beneficia Regularia vel Sæcularia habent jus administrandi, & dispensandi fructus sui Beneficii tum ad congruam sustentationem, tum ad causas pias; quia id eis à jure & consuetudine concessum est. At nihil possunt impendere in usus profanos, vel consanguineis non indigentibus donare: aliàs peccant contra justitiam, & accipientes tenentur ad restitutionem: quia istorum bonorum non sunt Domini, sed solum administratores & dispensatores, habentes tantum jus & facultatem ad impendenda illa bona secundum præscriptum Canonum



nonum ac Religionis, & intentionem eorum, qui ea religioni vel Ecclesiæ donârunt. Imò etiam peccant contra votum paupertatis, disponendo de re temporalì sine licentia legitima.

*Q. 5. Ad quid obligatur Religiosus ex vi voti paupertatis?*

*Resp.* Ex communi sent. tenetur. I. Nullam rem temporalem pretio æstimabilem sine licentia superioris accipere, retinere, absumere, destruere, permutare, commodare, alienare, donare, aut ea uti. Nihil enim pretio æstimabile potest habere & tractare ut proprium, id est propriâ voluntate ac auctoritate, seu proprio arbitratu ac nomine, & sine dependentia ac licentia superioris; nam per votum paupertatis, etiam simplex, quod fit in Societate Jesu post biennium probationis, homo privatur potestate utendi & disponendi sine licentia superioris de quavis re temporalì, & usu ullo domini libero ac independente, quamvis retineat dominium sed restrictum & dependens à superiore, etiam quoad retentionem, & cum obligatione illud relinquendi ad nutum superioris. Per solemne verò Religiosus privatur insuper omni dominio etiam radicali, proprietate, usufructu, & simili jure rerum temporalium. Constat ex sensu ac usu Ecclesiæ, & ex c. *Non dicatis* 12. q. 1. exc. 6. *de Statu Monach.* ubi Innoc. III. ait: *Prohibemus*



*mus districtè in virtute obedientia, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat, &c. Unde si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati vel Priori assignetur. & ex Trident. sess. 25. c. 2. Nemini Regularium tam virorum quam mulierum liceat bona immobilia vel mobilia quovis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. Imò juxta Navar. & Suarez votum illud obligat ad non desiderandum habere aliquid proprium & ut suum, ex c. Voventibus 17. q. 1. ibi: Voventibus Virginitatem non solum nubere, sed etiam velle damnabile est.*

Hinc ex communi, Religiosus sive solemniter Professus sive non, peccat si quid seu domi seu foris sine Superioris licentia expressa vel implicita, aut tacita, aut in necessitate prudenter præsumpta accipiat, possideat, retineat, destruat, commodat, commutat, absumat, donet, alienet, aut aliqua re utatur: nam ista omnia sunt actus proprietarii, cum fiant proprio arbitratu ac auctoritate & sine licentia superioris. Omnis autem actus possessoris proprietarii est religioso illicitus: nam per votum paupertatis abdicat se potestate possidendi aliquid ut proprium & sine dependentia ac licentia. Imò ista non solum sunt sacrilegia contra votum, sed etiam furta contra justitiam, ut notat Suarez: nam cum res illa sit communitatis,



committitur furtum usurpando rem alienam, vel ejus usum, invito Domino seu administratore ac possessore, qui est loco Domini, nempe religione, quæ habet Dominium, vel saltem administrationem & possessionem bonorum illorum. Idque etiamsi res illa Religioso ab externis donata sit; quia hoc ipso quod ab illo acceptatur, acquiritur communitati, nam ratione voti & traditionis suæ ac pacti cum religione quidquid acquirit religiosus, acquirit religioni, ut constat ex variis juribus, ex consensu Doctorum, & ex praxi ac sensu Ecclesiæ. *Furtum est privata possessio... Societatis enim expilatio est rei cujuscunque & undecunque in privatam usum se vocatio.* ait S. Basil. in Constit. Mon. c. 34. quare omnis alienatio, donatio, &c. sic facta est irrita, & restitutioni obnoxia. Unde nec licet Religioso rem acceptam reddere donatori, quia id esset alienare quod acquisitum est religioni.

Nostri verò, qui vota tantum simplicia emiserunt, peccant mortaliter, si de rebus, quarum habent dominium, disponant vel utantur in quantitate notabili sine licentia superioris: nam licet possint retinere & acquirere dominium radicale bonorum temporalium, sunt tamen privati jure actuali de illis disponendi suo arbitratu & sine licentia superioris. Sed controversatur an dispositio sine licentia superioris facta sit quoque invalida. Porrò ii non habent dominium, nisi bonorum quæ in sæculo posside-

fide-



sidebant, vel quæ postea ex successione necessaria & ab intestato, vel fortè etiam ex libera parentum dispositione obveniunt, quæque ad eorum patrimonium pertinere videntur. Unde aliæ res, quas aliunde, ut ab amicis, vel industriâ acquirunt, hoc ipso fiunt Societatis, ideóque harum dispositio sine licentia facta est certò invalida: quia intentio Societatis aut superiorum licentiam acceptandi concedentium non est, ut huiusmodi rerum dominium acquirant.

Item Religiosus sæpius quid leve sine licentia recipiens, absumens, vel impendens, vel destruens ex bonis communitatis, vel aliunde datis, etsi sine animo iterandi & attingendi quantitatem notabilem, peccat tamen mortaliter, quando scienter pervenit ad quantitatem sufficientem ad mortale furtum sic factum: nam est eadem ratio ac de furtis minutis, ut docet Sanchez; quippe ultima acceptione complet quantitatem notabilem furti & proprietatis. Quod verum est licet ista sint esculenta vel poculenta domûs: nam hæc sunt pretio æstimabilia, & Superior debet esse circa illas acceptiones graviter invitus; tum quoad modum, cum repugnent disciplinæ religiosæ & subordinationi debitæ: tum etiam quoad substantiam, cum repugnent mortificationi, & foveant sensualitatem, quæ est magnum impedimentum perfectionis. In his tamen ad mortale requiritur eadem quantitas,

D 5

quæ



quæ in esculentis & poculentis respectu famulorum ad furtum mortale. Idque certum omnino censendum est, saltem si ista sine rationabili necessitate sumantur.

Hinc etiam peccat contra votum paupertatis Religiosus, qui à sæculari invitatus, manducat aut bibit sine licentia Superioris; nam comestio & potatio, ex communi hominum sensu est usus activus facti rei temporalis in proprium commodum, & pretio æstimabilis; qui proinde per votum paupertatis illicitus est sine consensu Superioris, sicut comestio & potatio rei sine consensu Domini est injusta, & Religioso non licet uti ulla re temporali pretio æstimabili sine licentia Superioris; nam qui usum rei pretio æstimabilem accipit suo arbitratu & sine licentia, jam aliquid pretio æstimabile accipit propriâ voluntate ac auctoritate, & sine licentia Superioris, ac proinde quoad aliquid pretio æstimabile se gerit ut Dominus. Ita Suarez, Sanchez, & alii. Ilfung addit contrariam opinionem fuisse à R. P. Virellescho Præposito Generali Societatis prohibitam tanquam non consentaneam paupertati, quam Societas profitetur, neque à Professoribus nostris docendam, neque ulli reipsâ exercendam. Porrò usus rei, quæ uno usu consumitur, ut alimentum tanti æstimatur quanti res ipsa, quia tunc tota res accipitur, ut notat Suarez.



2. Tenetur esse animo paratus exui rerum sibi permissarum possessione & usu omni momento, quo Superior voluerit. Nihil enim potest retinere, nisi cum dependentia continua à voluntate superioris: nam quod auferri non potest, habetur ut proprium.

Hinc peccat contra votum, qui rem cum licentia acceptam abscondit, ne Superior eam auferat, repetat, vel licentiam datam revocet. Item qui murmure, querelis Superiorem impedit ne rem concessam repetat: vel dum Superior aliqua ei aufert, conqueritur tanquam de injuria: nam ista omnia sunt actus sibi usurpantis usum independentem ac irrevocabilem, cujus est incapax per votum paupertatis. Quippe non potest acquirere sibi jus ad res temporales, quod non subordinetur Superiori, eique acquiratur, alioqui jam haberet aliquid proprium pretio æstimabile, nempe jus ad talem usum irrevocabile. Item talis jam rem possidet animo ac modo proprietario; & vult habere, & quantum in ipso est, facit licentiam irrevocabilem. Licentia autem irrevocabilis in hac materia est iniqua & nulla, utpote repugnans paupertati; cum per illam res jam possideatur ut propria, quippe quæ jam repeti nequeat. *Ita ex communi Suarez.*

3. Tenetur rem sibi concessam dimittere statim atque Superior revocat licentiam datam; alioqui jam eam haberet sine licentia.

4. Rem



4. Rem quamlibet determinatè concessam ad unum usum, non potest adhibere ad alium usum etiam honestum; nam hic usus esset sine licentia: ideòque esset actus proprietarius, qui per votum paupertatis prohibetur: nam votum tollit facultatem habendi proprium, & proinde etiam actum talis facultatis: quod enim tollit facultatem, à fortiori tollit actum. Unde peccat mortaliter si pecuniam notabilem ad unum usum concessam impendat in alium sine licentia. Item non potest id, quod ad usum sibi conceditur, alteri commodare sine facultate, quia Religiosus habet tantum jus utendi ad suam utilitatem rebus sibi concessis, continuò dependens. Usuarius autem non potest usum rei sibi concessum concedere alteri, hoc enim est usu-fructuarii, *Instit. de usu & habitu*. A fortiori, ut notat Layman, non licet Religioso secum auferre, vel alteri dare esculenta aut poculenta, quæ in mensa singulis apponuntur, nisi adsit licentia generalis usui ipso expressa, vel inducta in rebus hujusmodi: sicuti cum quis aliquos convivio excipit, non facit eos Dominos rerum appositarum, neque copiam facit, ut eas ad alios transmittant, aut in proprias domos asportent. Nec refert quòd suâ parsimoniâ aliquid sibi reservavit; nam ista ei solùm conceduntur, ut ipse absumat ad suam sustentationem; & quidquid residuum est, manet in bonis Monasterii. Estque communis & vera sententia, inquit Suarez:

Suarez:



Suarez, non licere Religioso sine ulla licentia Superioris donare intra vel extra Religionem aliquid ex rebus sibi concessis ad usum suum, licet possit ipse illud consumere, ut si de quantitate cibi aliquid sibi subtrahat, vel ex quantitate pecuniæ quam iter agendo posset expendere: quia ei conceditur tantum talis usus facti pro se; & ideo præter illum non potest ullum alium suâ auctoritate usurpare: si ergo illum usurpat, in eo se gerit ut Dominus.

5. Tenetur adhibere eam saltem diligentiam in conservandis rebus sibi ad usum concessis, quam adhibere solent viri prudentes & diligentes in rebus suis: nam habet obligationes usuarii, cui precario conceditur usus salva rei substantia, estque actus domini independentis rem negligere, vel pro libito deteriorem facere, aut destruere. Quod si res etiam ad consumptionem tribuatur, ut vestis, oleum, &c. tribuitur ei tantum ad consumptionem necessariam vel utilem, non autem ad destructionem Monasterio damnosam, & ex negligentia acceleratam. Quare si res suâ negligentia pereat, aut deterior fiat, vel si quid plus æquo consumat, peccat contra votum & iustitiam.

6. Non potest habere superflua, pretiosa & statum paupertatis non convenientia, nec quidquam etiam validè impendere in usus turpes, vel vanos, vel dedecentes statum religiosi, ita ut magis videantur convenire sæculari di-

Viti.



viti, quàm Religioso pauperi. Nam, ut ait De Lugo, votum paupertatis non solum obligat ad non utendum sine licentia Prælati, sed etiam ad conservandum statum pauperis, & vitandos sumptus qui pauperes non decent secundum Religionis institutum. Idque etiam si Superior consentiat; nam Superior tales usus nec licite, nec valide concedere potest. Ita Nav. Sanch. De Lug. Layman. & alii. tum quia repugnant statui pauperis, & à Canonibus prohibentur: tum quia Superior non est Dominus bonorum communitalis, nec eorum quæ dantur Religioso, sed solum administrator secundum Canones & regulam Ordinis. Jura autem & decreta à Summis Pontificibus, qui sunt supremi omnium Religionum Prælati, condita vel confirmata, ei solum concedunt administrationem ad usus necessarios, & pios ac statum religiosum decentes, vetantque quidquam ad profanos & vanos usus impendi. Et Conc. Trident. sess. 25. c. 2. ait: *Mobilium usum ita Superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit.* Ergo Superior non habet potestatem concedendi hanc licentiam, quæ proinde nulla est. Unde S. Congregatio Cardinalium, teste Fugnano in c. *Monachi*, declaravit *Regulares præter suppellectilem, quæ statui paupertatis regularis convenit, non posse de licentia suorum superiorum regularium alia bona mobilia superflua, & dependenter*



denter à voluntate eorundem Superiorum, & ad solum usum proprium possidere seu retinere, & possidentes vel tenentes mobilia superflua non excusari propter licentiam Superiorum à culpa & pœna. Quare nec Prælatus cum ipso conventu potest hanc licentiam concedere: nam licet Conventus sit Dominus eorum bonorum, hoc tamen dominium est restrictum per votum paupertatis, Ecclesiæ decreta, & intentionem donatorum ad usus necessarios, utiles & pios. Ita *De Lugo, Lessius, Navar. Sanchez & alii.*

Hinc Religiosus impendens aliquid notabile, etiam cum licentia Superioris, in usus vanos, superfluos & profanos, ut in ludos, convivia, vanas picturas, res sumptuosas, vestes sericas, &c. peccat contra votum; cum hæc licentia nulla sit. Qui verò in ludo aliquid lucratus est ex bonis Religiosi, vel accepit in usus vanos & dedecentes ejus statum, tenetur illud restituere Religioni, perindè ac si accepisset à fure. Igitur cum pecunia vel res generaliter conceditur à Superiore, intelligi debet concedi solum in usus honestos, necessarios vel utiles, & statui religioso decentes, cum aliter nec licitè, nec validè concedi queat.

7. Procurator, Oeconomus, & similes non possunt quidquam dare, impendere, alienare, pro libitu, sed solum secundum Ordinis regulam, & Superioris voluntatem, & quatenus ratione muneris eis commissum est. Unde  
Sanchez



Sanchez cum multis infert Procuratorem peccare mortaliter contra votum, si quid notabile in alios usus præter assignatos à Superiore, quantumvis ii ex se liciti sint & communitati deserviant, expendat sine expressa vel prudenter præsumpta Superioris voluntate, quia agit ut Dominus. Item dispensator aliquarum rerum tenetur eas distribuere secundum regulam & voluntatem Superioris, ita ut non det alia nec plura vel pauciora, nec meliora vel deteriora quàm scit Superiorem velle: quâ parte enim discedit à voluntate Superioris, incurrit vitium proprietatis, cum expendat vel distribuat perindè ac si esset Dominus, & ab alterius arbitrio non penderet. Deindè quidquid fit ultra facultatem sibi concessam, fit sine licentia, sed proprio arbitratu ac autoritate; ideòque est actus proprietarius: actus enim proprietarius est is omnis, qui proprio arbitratu & autoritate fit; talis autem est is omnis, qui fit sine licentia Superioris. Ita Suarez & alii: *Oportet quòd ea, in quibus inferior superiori subjicitur, dispenset non aliter quàm ei à superiori fuerit commissum.* ait S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 8. Porro in nostra Societate officiales pendunt in omnibus à voluntate immediati Superioris localis.

Ipsi verò Religionum Prælati peccant contra paupertatis votum & justitiam, si bona Conventûs aliter impendant vel donent, quàm Ordinis sui regula, vel approbata consuetudo



suetudo, aut Superiorum Prælatorum voluntas eis permittit. Et si quid notabile donent vel impendant in usus vanos, aut superfluos, peccant mortaliter, & alienatio irrita est; & restitutioni obnoxia. Quia Prælati non sunt bonorum communium Domini, sed solum administratores in utilitatem religionis & pios usus, ex c. 2. de donat. & voto ut alii obstringuntur. Nec id possunt etiam cum consensu Conventus: nam etsi conventus habeat dominium istorum bonorum; tamen hoc dominium per votum paupertatis; Ecclesiæ decreta & per intentionem donatorum est restrictum ac limitatum ad pios & necessarios usus ut dictum est. Sed notanda sunt sequentia.

1. Licentia Superioris requisita debet esse vel expressa, vel implicita, quæ scilicet contineatur virtualiter & implicite in alia expressa; vel tacita quæ rei cognitionem in Superiore supponit, & quæ ex circumstantiis prudenter adesse iudicetur, ut cum Prælatus sciens subditos aliquid accipere, retinere, donare, non prohibet cum facile possit; nam tunc tacite consentire censetur: secus si difficile impedire posset, eo quod v. g. timeret ne domus turbaretur tuis querelis, tunc enim merè tolerat, non concedit, unde non excusaris: licentia tamen tacita, vel generalis in Religionibus bene ordinatis non conceditur, nisi in rebus levis momenti & crebro occurrentibus.

2. Licentia præsumpta seu interpretativa

Tom. III.

E

NON



non sufficit, nisi cum res & causa urget, & Superior non potest tunc adiri; ita ut censeatur non velle, ut ejus licentia expressa tunc requiratur, vel concedere licentiam quamvis non petatur. *Ita Lessius & alii.* Nam non sufficit quod licentia daretur si peteretur; nam cum conditio illa non ponatur in re, non ponitur id quod ex ea sequeretur. Sic non cessat obligatio legis, quia Superior in ea dispensaret, si rogaretur.

Hinc ad mortale vitandum non sufficit quod Superior licentiam concederet, si peteretur, sed facultas expressa requiritur, si res differri, aut Superior adiri possit: quia alias Superior esset rationabiliter invitus, non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiam; nam Superior ex officio tenetur sub mortali non consentire, ut inferior de rebus disponat non petita licentia, cum peti potest: nam alioqui dissolveretur & everteretur religiosa disciplina cum gravi damno spirituali Religionis, quod ex officio tenetur impedire Superior.

Porro, qui rem ex praesumpto consensu accepit, tenetur postea ubi primum potest, petere licentiam ut retinere possit: quia licentia requiritur non solum ad accipiendum, sed etiam ad retinendum: ergo haec ad retentionem peti debet, cum potest. *De Lugo, &c.*

3. Requiritur licentia omnino voluntaria, quae non sit per vim, metum, fraudem, obtenta, nec



ta, nec procedat ex errore. *Ita Suarez, Sanchez, De Lugo & alii.* Hinc si Religiosus importunâ sollicitatione vel querelis aliquid impetret à Superiore, ideo solum permittente, ut hominis molestâ importunitate se liberet, vel quia timet majus malum, aut ne subditus querelas & murmurationes effundat, ut ait De Lugo, est paupertatis violator: quia hæc non est licentia voluntaria, sed mera tolerantia extorta, & usus rei sic concessus est injustus, perinde ac usus equi à Domino vi vel metu injusto extortus. Idem dic si fingat causam ob quam ei concedatur licentia, vel taceat id quo cognito non solet dari. *Ita Suarez, Sanchez, & alii.* nam tunc error vel ignorantia facit ut licentia non sit voluntaria. ideoque ut sit nulla.

4. Non sufficit licentia tantum debita, sed quæ probabiliter præsumatur deneganda, vel quæ irrationabiliter denegetur. *Ita Suarez, & alii.* quia tunc acceptio usûs, & dispositio esset verè & de facto sine licentia Superioris, & independens, & fieret nomine proprio: nam voluntas debita, nulla voluntas est, quando contraria de facto inest. Et sicut quamvis dives teneatur pauperi dare eleemosynam in gravi necessitate, si tamen deneget, non licet accipere: ita hîc. Deinde rectus ordo id postulat; nam quisque sibi facilè persuaderet licentiam sibi irrationabiliter negari, cum magno detrimento spirituali.

5. Ex communi, quantitas sufficiens ad fur-

E 2

tum



tum mortale, sufficit etiam ad peccatum mortale contra hoc votum: nam hoc peccatum proprietatis se habet instar furti, cum sit usurpatio rei vel usus, aut alienatio aut consumptio rei sine consensu Superioris, sine quo est injusta & sacrilega. Hæc autem quantitas sufficiens est ea, quæ absolutè & in se spectata censetur notabilis sine respectu ad personas. Hinc (ut notant Sanchez, Delugo, & Ilung) falsum est Religiosum in hoc habendum esse ut Filium-familias, si (ut docent multi) respectu illius major quantitas ad furtum mortale bonorum paternorum requiritur, quàm respectu extranei, eo quòd putent plus requiri ut Pater sit rationabiliter graviter invitus: nam peccatum contra paupertatem non mensuratur præcisè ex damno temporali, sicut furtum filii; sed multò magis ex damno spirituali religiosæ disciplinæ, circa unum ex fundamentis præcipuis vitæ religiosæ. Gravitas autem culpæ quâ sine licentia usurpatur usus rei, quæ hoc usu non consumitur, mensurari debet ex æstimabilitate talis usûs, & temporis diuturnitate.

6. Si Religiosus inconsulto Superiore recuset acceptare rem sibi ex liberalitate oblatam, Sanchez docet eum non peccare contra hoc votum: quia vi illius non obligatur ad acquirendum Religioni, sed ad non alienandum, accipiendum, utendum sine licentia. Potest tamen peccare contra charitatem, impediendo



do sine justa causa bonum Religionis, cui illa res ipso acceptante acquirenda erat. At non peccabit, si domum non necessarium Religioni recuset ex justa causa, v. g. ut liberior sit ad sua ministeria obeunda, vel ad majorem ædificationem.

7. Quoties Religiosus damnum injustè intulit sive extraneis, sive Religioni, ejus bona usurpando vel destruendo, vel aliter nocendo, tenetur restituere, quantum potest, ex his bonis de quibus licitè posset disponere in alios usus, vel imminuendo expensas quas licitè posset ex conventûs bonis facere, nisi condonet Prælatus, vel Dominus. *Ita Delugo, & alii.* nam injuria omnis jure naturali refarciri debet, quantum fieri potest, nisi condonetur.

8. Spectandæ sunt leges ac regulæ cujusque instituti, ut monet Delugo, quia fieri potest, ut quòd fortè non repugnat paupertati religiosæ spectatæ in genere, repugnet paupertati ut est propria talis vel talis Religionis. Sic in quibusdam religionibus quædam permittuntur, quæ non permittuntur in nostra Societate, repugnante ejus Instituto quoad hoc strictissimo.

9. Si Religiosus aliquid sine licentia valida Superioris donet vel alienet, accipiens tenetur illud restituere Religioni. *Ita omnes.* cum Religiosus careat potestate alienandi, & sic transferendi ejus dominium.



*Q. 6. Ad quid obligatur Religiosus ex Voto  
Castitatis?*

*Resp.* Secundum omnes tenetur sub mortali non solum abstinere à conjugio, sed etiam ab omni voluntario actu luxuriæ, tum interno tum externo, ut à turpi cogitatione, delectatione morosa, ab impudico sermone, desiderio, aspectu, tactu, ab omni actu venereo, ab omni probabili periculo horum, & ab omnibus iis quæ aliquo modo sunt contra castitatem: nam votum castitatis etiam simplex, secundum significationem receptam in Ecclesia, & consensum Doctorum, & praxim fidelium hæc omnia complectitur. Unde quicquid in sæculari soluto est peccatum contra castitatem, est insuper in Religioso sacrilegium contra votum, & duplicem habet malitiam in Confessione exprimendam, unam luxuriæ contra virtutem castitatis, & alteram sacrilegii contra votum & Religionem.

*Q. 7. Ad quid obligatur Religiosus ex vi voti  
obedientiæ?*

*Resp.* Ex communi tenetur I. Ad servandam Regulam secundum vim obligationis ejus in unaquaque Religione receptam: nam per votum obedientiæ subiecit se Regulæ & potestati Superiorum; hocque votum emisit secundum Regulam: ideoque se obligavit generatim ad vivendum secundum regulam eo modo quo ipsa intendit, & ad obediendum  
Supe-



Superiori præcipienti consentaneè Regulæ. Ita Lessius. Quare si Regula Ordinis sub culpa absolutè obliget, ejus transgressio est contra votum, & sacrilega. Si verò Regula ex voluntate institutoris non obliget sub culpa absolutè, ejus transgressio non est contra votum, modo Religiosus sit paratus ad pœnam subeundam cum imponetur. Quod addo, quia omnis regula Religiosa, sub quâ comprehenduntur etiam Constitutiones & Statuta Religionis, obligat in conscientia, etiam in nostra Societate, ad pœnam subeundam si imponatur: nam ut docet Suarez, Regulæ, Constitutiones, & Statuta Religiosorum habent rationem Legis, nec sunt mera Consilia, cum habeant auctoritatem à Papa illa confirmante, vel fiant per jurisdictionem ab eo acceptam: ideòque obligant in conscientia, vel ad culpam absolutè, vel saltem ad pœnam. Deinde Superior habet jus puniendi actus contra Regulas, ac Statuta; & quidem in Societate nostra expressè hæc potestas pro' cujuscumque transgressione datur Superiori.

2. Tenetur ad res contentas in Regula pertinentes ad vota, & ad ea quæ in sua Religione præcepta sunt; & quidem sub mortali, si res illa sit gravis, sub veniali, si levis; quia tenetur servare voto illa secundum regulam, & hæc obligant pro capacitate materiæ.

3. Tenetur ad omnia quæ Superior præcipit consentanea Ordinis Constitutionibus, Regu-



lis, Statutis, & Instituto, five ea expressè five implicitè vel virtualiter in Instituto ac Regulis contineantur, vel ad illa etiàm indirectè pertineant; & quidem si præcipiat in virtute obedientiæ, in nomine Christi, vel simili formâ, quâ indicet se velle obligare graviter, vel quantum potest, tenetur sub mortali obedire in materia gravi: nam ad hoc se obligavit per votum obedientiæ, ut constat ex sensu & usu in Religionibus recepto, & Superior habet potestatem præcipiendi & graviter obligandi secundùm Regulam, secundùm quam Religiosus vovet obedientiam, & cui se subiecit, licet ipsa Regula per se & secluso præcepto superioris non obliget absolutè sub culpa. Aliàs votum obedientiæ inane & illusorium esset. Hinc c. 27. de Elect. in 6. dicitur: *Religiosi arbitrium, non ex sua (cum velle & nolle non habeat) sed ex illius, quem vice Dei supra caput suum posuit, & cuius imperiose subiecit, voluntate dependet.* In Societatis Jesu Constit. p. 9. c. 3. hæc habentur. *Generatim loquendo in rebus omnibus, quæ ad propositum societati finem perfectionis & auxilii proximorum ad gloriam Dei faciunt, omnibus præcipere in obedientiæ virtute possitis.*

Hinc Superiores præcipere possunt omnia quæ sunt moraliter necessaria ad præcavenda peccata, ad institutum, regulas, vel vota servanda; & nova statuta ad hunc finem condere; nam hæc virtualiter & implicitè pertinent ad institutum ac vota, & sub illis continentur.

Sic



Sic clausura arctissima jure præcipitur monialibus, quæ illam non voverunt; quia experientia docuit hanc esse moraliter necessariam ad custodiam castitatis, quam voverunt.

Item ad vitæ Religiosæ reformationem & observationem strictiorem, sine quâ disciplina religiosa & institutum Ordinis in suo vigore conservari moraliter nequit, possunt à Superioribus obligari professi: nam hoc implicitè ac virtualiter voverunt; & subjiciens se alicui ad finem, se ei quoque subicit in iis quæ necessaria sunt ad illum finem. *Ita Sanchez, Lessius, Layman, & alii.* Nec consuetudo habet tantam vim, ut Religioni vel Papæ adimat potestatem reformandi & tollendi talem consuetudinem. *Ita Suarez.*

Quòd si Superior formâ præcipiendi non utatur, non videtur obligare sub mortali, nisi aliunde constet. Videtur tamen obligare sub veniali, si aliquo modo mandet, inquit Lessius, quia non intendit consulere & suadere duntaxat, sed aliquo modo præcipere & obligare, quantumvis non tantum quantum posset. Et ipsa ratio disciplinæ Religiosæ postulat, ut inferior obtemperet, etiamsi ei extremum præceptum non imponatur. Ita ille, addens superiorem non posse ratione hujus voti obligare subditum ad ea, quæ sunt vel contra regulam, vel supra regulam, vel infra regulam scilicet inutilia, nisi præcipiat ex causa quæ sit juxta regulam; quia subditus ex vi voti hujus non



intendit promittere, nisi vivendi normam & obedientiam secundum proprium institutum & regulam. Potest tamen Superior majorem austeritatem præcipere in pœnam commissi delicti; quia potest injungere pœnam dignam & consentaneam delicto, nam hoc exigit officium ac munus superioris: & ideo non est hoc supra regulam, quia ex vi illius subicitur Religiosus condignæ pœnæ: ergo obedientia secundum regulam includit obligationem parendi in hac pœna. Ita Suarez ex communi Doctorum sententia.

4. Potest obligari à Superiore cum periculo vitæ, quando aliqua actio periculosa necessaria est ad bonum commune Religionis. Ita Suarez & alii. Hinc potest obligari ad opitulandum fratribus ejusdem Religionis peste infectis; quia ad conservationem & bonum regimen Religionis pertinet quòd religiosi mutua sibi obsequia præstent, & in necessitate sibi subveniant: ideoque hoc saltem implicite ad Regulam pertinet. Ita Cajet. Castropal. Sanchez, &c. Item tempore pestis Religiosi, quorum institutum est spirituali proximorum salutem incumbere, tenentur jussu Superioris sæcularibus peste infectis Sacramenta ministrare, si Parochi ei muneri obeundo non sufficiant, & superior tenetur id præcipere: quia hoc est secundum eorum Regulam, cum eorum munus sit esse Episcoporum & Parochorum



rum Coadjutores in salute spirituali proximi adjuvanda. *Ita Sanchez, & alii.*

Præterea notanda sunt sequentia.

1. Peccatum contra votum obedientiæ habet duplicem malitiam, unam sacrilegii ratione fracti voti, & alteram iniustitiæ contra hominem, ratione traditionis & promissionis factæ Religioni & ejus Prælatis. *Ita Suarez.*

2. In dubio de potestate Superioris, vel an res præcepta sit licita, tenetur subditus parere, ex c. *Quid culpatur.* 23. q. 1. quia tunc melior est conditio Superioris, qui est in possessione auctoritatis & potestatis præcipiendi, & in quem inferior suam libertatem abdicavit, idque rectus ordo & subordinatio debita postulat. Deinde Superior habet jus præcipiendi id omne, quod non est certum excedere ejus potestatem.

3. Superior potest præcipere actus merè internos: quia sicut quisque potest illos vivere absolute, ita & conditionate, si Superior eos præcipiat. At Religiosi voto se obligant ad obediendum Superiori secundum Regulam præcipientis; & Regula præscribit Orationem mentalem, Examen conscientiæ, &c. Deinde actus merè interni sunt secundum Institutum Religionis, cujus finis est ad perfectionem charitatis ducere. Adde quod Innoc. XI. damnavit hanc Michaëlis de Molinos propositiōem: *Superioribus obedire debet in exteriori, & libertudo voti obedientiæ Religiosorum; pertinet ad*  
*libertatem*



*lummodò ad exterius : aliud est in interiore, quò  
solus Deus & directòr intrant.*

4. Superior Regularium habet etiam potestatem Patris-familias in ordine ad politicam domùs gubernationem, etiam erga Novitios. Unde ex quarto Præcepto Decalogi potest suos obligare in hac materia, licet in Regula non contineatur. Habet quoque à Papa jurisdictionem Ecclesiasticam quasi Episcopalem in suos subditos & novitios, vi cuius potest illos obligare independenter à voto, sicut Episcopus suos subditos.

5. Superiores Regularium possunt præceptis, statutis ac sententiis subditos suos ubicunque terrarum existentes obligare, excommunicare, fugitivos propriâ auctoritate capere: quia potestas in suos iis competit non ratione territorii, sed ratione personalis obligationis, ex voto obedientiæ.

6. Papa est primus ac supremus omnium Religionum Præpositus generalis; unde Religiosi tenentur vi voti obedientiæ ei primariò obedire in omnibus, in quibus tenentur suis Prælati regularibus: nam hoc votum per se primo ac principaliter fit summo Pontifici tanquam supremo omnium Religionum Præposito.



Q. 8. An peccat Religiosus violans regulam per se non obligantem sub culpa, nisi ad subeundam pœnam, cum imponetur, si eam subire paratus est?

Resp. I. In praxi rarò ac vix fieri potest, ut non peccet saltem venialiter, ob inordinatum aliquem affectum, ut sensualitatis, curiositatis, vanitatis, &c. vel ob negligentiam, otiositatem, acediam; vel ob defectum finis honesti, vel debitæ circumstantiæ in actu quo violatur Regula: vel ob aliquam aliam inordinationem. Ita Suarez, Sanchez, Lessius, & alii commun. ex S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 1. nam quævis inordinatio est peccatum, cum adversetur rectæ rationi ac legi divinæ, & vitiet actionem. Sic v. g. omissio Meditationis, vel examinis, vel studii, ex negligentia seu torpore quodam semper est peccatum acediæ. Præterea omnis actus deliberatus qui non est bonus, hoc ipso malus est, cum nullus sit indifferens in individuum, & lex divina naturalis præcipiat ut homo semper honestè ac decenter naturæ suæ rationali ut rationali vivat, seu agat. Ut autem actus sit honestus, necesse est ut ejus objectum sit bonum, vel saltem indifferens, sed referibile ob bonum finem ad quem conducatur, ut fiat modo debito, cum concursu rationabili omnium circumstantiarum, & ex fine honesto seu motivo virtutis. Si unum ex his desit, hoc ipso actus non est bonus, sed malus. *Bonum enim ex integra causa, malum ex quolibet defectu.*



*defectu.* At rarò ac vix fieri potest, ut actus, quo violatur Regula, fiat modo debito, & cum concursu rationabili omnium circumstantiarum, & ex motivo honesto: cum Regulæ & Constitutiones Religionum ad rectitudinem morum in tali statu debitorum & virtutum actus spectent, sintque medium perfectionis respectu talis hominis ei declarans voluntatem divinam. Idem dic de omissione vel actione contra voluntatem Superioris nolentis per se obligare sub culpa.

Ob eandem rationem vix fieri potest, ut quis sine peccato rejiciat inspirationem divinam circa bonum meri consilii. Quis enim fieri potest ut bonum, ad quod Deus hic & nunc nos impellit, & ei placet à nobis fieri, possit omitti rectè, honestè & ob bonum finem? Cum autem non detur actus moralis indifferens in individuo, omnis actus qui fit vel omittitur deliberatè non ex fine honesto, est hoc ipso saltem peccatum veniale. Quare Toletus, l. 3. c. 2. inter peccata omissionis recenset, *divinis inspirationibus non respondere, nec operari aliquod bonum, cum possit quis operari, licet non obligetur ex præcepto.* Et meritò viri timorati humiliter se accusant de inspirationum divinarum repulsa. Itaque in his casibus rarò abest peccatum vel acedia, vel sensualitatis, vel vanitatis, vel impatientiæ, &c. nam vel levissima inordinatio sufficit ad veniale.

*Resp. II.*



*Resp. II.* Moraliter peccat Religiosus, qui Regulas illas circa exercitia spiritualia, abnegationem sui, actus virtutum, Religiosam disciplinam frequenter & ex consuetudine, violat, teneturque graviter hanc consuetudinem vitare & emendare. *Ita Sanchez, Layman & alii.* Quia 1. Tunc intervenit contemptus saltem interpretativus vitæ regularis ac perfectionis; & se conjicit in periculum violandi vota, ad quorum observationem illæ Regulæ sunt media saltem moraliter necessaria, ut experientia constat. 2. Scandalum aliis, & grave damnum spirituale Religioni affert, religiosamque disciplinam graviter perturbat. 3. Ex vi vororum, quibus se Religioni in perpetuum ex parte sua addixit, tenetur sub mortali ad perseverandum in Religione absque nocumento notabili Religionis, & ad ita se gerendum, ut sit tolerabilis & expelli non debeat. Qui autem Regulas violare solet, intolerabilem se reddit, ut expelli debeat; aut si tolleretur, graviter nocet Religioni. Adde quod Trident. sess. 25. c. 1. *Præcipit ut omnes regulares tam viri quam mulieres ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant & componant, atque imprimis, &c.* Hinc propositum non servandi communiter has regulas est mortale, cum contineat virtualiter & implicite voluntatem inferendi grave damnum Religioni, & scandalum aliis, *Ita multi.*

*Resp. III.* Semper peccat mortaliter, qui re-  
g. lan



gulam violat ex contemptu. Hoc fatentur omnes, inquit Sanchez, cum S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 1. Quia hoc est contra votum Professionis, quo Religiosus promittit subjectionem erga Regulam: quod est aliquid grave, quod tunc violat, nam transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis vel Regule, ait S. Th. a. cit. ad 2. Idem docet De Lugo de eo qui dicit Superiori, etsi non imperanti sub præcepto, nolo parere: quia verba illa continent gravem contemptum potestatis legitimæ, & irreverentiam contra Superiorem, ut Superior & Dei Minister est. Unde S. Bern. l. de præcept. & dispens. c. 14. ait violationem mandati levioris esse grave crimen propter contemptum; Elatio quippe contemnentis in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levem simplicis transgressionis, &c.

Q. 9. Quenam sunt Obligationes Superioris Religiosorum?

Resp. Traduntur, c. 6. de Statu Monach. Præceteris potens sit in opere & sermone, ut exemplo vita, verboque doctrinæ Fratres & instruere possit in bono, & a malo revocare. Zelum Religionis habens secundum conscientiam, ut delinquentes corripiat & castiget, obediens foveat & confortet... Vigilem curam & diligentem sollicitudinem gerens de omnibus: ut de officio sibi commissio



commissio dignam Deo possit reddere rationem. Quod si pravaricator ordinis fuerit, aut contemptor seu negligens, aut remissus, pro certo se noverit non solum ab officio deponendum, sed & alio modo secundum Regulam castigandum: cum offensa non solum propria, verum etiam aliena, de suis manibus requiratur. Tenetur autem imprimis subditos promovere ad perfectionem propriam sui instituti; quia est finis talis Religionis, & ad hoc constitutus est Superior. Unde tenetur diligenter curare, ut vota & Regulæ omnes, quæ sunt media ad talem perfectionem, accuratè ab omnibus servantur; & impedire, quantum potest, corrigere & punire non solum peccata etiam venialia subditorum, sed etiam violationes Regularum, licet per se non obligantium absolute sub culpa. Prælati Regularis (inquit De Lugo, Tom. I. de Just. disput. 9. sect. 2.) potest graviter peccare negligendo culpas veniales in subditis, imò & observantiam circa Regulas, quæ tamen ex se non obligant subditos ad peccatum etiam veniale: quia in hac ipsa negligentia Prælati defuit graviter obligationi, quæ ex munere suo tenetur consulere potissimum bono & profectui subditorum, & observantia Regulari, quæ per ejusmodi defectus toleratos maxime labefactatur: multo enim magis & gravius obligatur ex munere suo Prælati regularis ad procuranda bona spiritualia, quam temporalia sui Conventus. Quare si ob ejus culpam communitas patitur grave detrimentum.



in spiritualibus non poterit ipse à peccato gravi excusari; & poterit contingere quòd subditi solum venialiter peccent, & Prælatus peccet graviter in iis defectibus permittendis. Debet igitur Prælatus vigilare, & adhibere moralem diligentiam in iis damnis præcavendis. Ita ille. Quare (ut ait S. Antonin. 2. p. Tit. 9. cap. 5.) Prælatus debet esse sollicitus ad inquirenda vitia subditorum, nec sufficit quòd corrigat defectus quos contingit eum scire, sed debet inquirere diligenter vitam subditorum, si forte etiam occultos defectus potest deprehendere, ut admonendo & præcavendo malis obviet. Estque hæc communis Theologorum sententia. Hinc etiam tenetur avertere & non permittere suis subditis occasiones peccatorum etiam venialium, & amittendi vel minuendi fervorem spiritûs ac studium perfectionis; cum teneantur eorum perfectionem promovere & avertere ejus impedimenta.

Præterea diligenter perpendant mandatum illud Apost. Rom. 12. *Qui præest in sollicitudine.* & Hebr. 13. *ipsi pervigilant.* hoc est pervigilare ex officio debent, quasi rationem pro animabus vestris reddituri. illud Eccli 32. *Rectorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe.* Item illud Trident. sess. 23. c. 1. *Præcepto divino mandatum est omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere... ac bonorum omnium operum exemplo pascere, &c.* Denique ex Trid. sess.



sess. 25. c. 2. Superiores tenentur singulis subditis omnia, quæ iis necessaria sunt suppeditare ex bonis communitatis: nam ex officio vices parentum erga illos gerunt, & bona ad hunc finem Religionis donata sunt; alioqui & dant occasionem multis malis ac peccatis, & interdum violationi paupertatis. Bona verò suorum sustentationi superflua erogare tenentur in causas pias, ut dixi de Clericis: nam bona Religionis sunt bona DEO dicata & in ejus cultum donata. *Reginal. & alii.*

*Q. 10. An est obligatio sub mortali eligendi vel proponendi digniorem in Superiorem regularium, licet Prælatūra sit temporalis?*

*Resp. Aff. Est communis, teste De Lugo. Quia*  
 1. eadem est ratio, ac de Episcopo & Parocho, cum Superior Religiosorum sit animarum Pastor, & habeat subditos, quos in viam salutis dirigere, imò & ad perfectionem promovere tenetur ex suo munere. 2. Alioqui grave damnum spirituale inferetur Religionis; nec efficaciter subditi ad perfectionem adducentur, ut experientia constat. Et verò (ut ait De Lugo Disp. 35. Sect. 5) eadem mala oriri possunt in Religionis, si non eligantur dignissimi, quæ in Ecclesia, cum facile possint eligi indigni, qui digni videbantur; & cum adeò difficile sit invenire verè & absolutè dignum, qui suo exemplo & prudentiâ continere possit subdi-



tos in disciplina Religiosa, & hanc, si (ut plerumque contingit) relaxata sit, ad pristinum & debitum rigorem reducere, subditosque ad perfectionem Religiosam promovere, qui est finis gubernationis Religiosæ. *Ita ille.*

**Q. II.** *An licet foeminis ingredi domum Religiosorum?*

*Resp.* Certum est id non licere iis, nec Superiori eas admittere: nam id semper generatim, saltem ex consuetudine vim legis habente, prohibitum fuit, ut constat ex S. Greg. M. l. 3. Epist. 4. & aperte supponunt Pius V. & Gregor. XIII. revocantes licentiam ingrediendi domos Religiosorum, quam mulieres prænobiles & Ducissæ prætendebant. Imò ex Bulla Pii V. *Regularium.* Et Bulla *Decet omnes foeminæ* ingredientes domos Religiosorum, extra casus permisos, incurrunt ipso facto Excommunicationem Papæ reservatam, nisi excusentur ob ignorantiam; & Religiosi, qui illas introducere, admittere præsumunt, incurrunt ipso facto poenam privationis Officiorum, & inhabilitatis in posterum ad illa & alia omnia, & suspensionis à divinis. Dicitur tamen Pius V. declarasse se non prohibere ingressum foeminarum in claustra Religiosorum causâ Processionis & Sepulturæ. Non tamen eis tunc licet alia loca ingredi, etiam hortum. Vide Sanchez, l. 6. c. 17. Omnibus verò tam viris quàm foeminis sub excommunicatione ipso



ipso facto contracta prohibitus est ingressus in Monialium Monasteria sine licentia Episcopi vel Superioris, ex Trid. sess. 25. c. 5. & Bulla 28. Gregor. XIII.

Q. 12. *Ad quid tenetur, qui vovit Religionem?*

Resp. I. Qui vovit Religionem in genere seu indeterminate, tenetur ingredi aliquam in qua vigeat disciplina Religiosa. Si non admittatur in uno Ordine, vel in probatione deprehendat hunc sibi non expedire, ex communi, tenetur probare alias plures Religiones suæ linguæ: quia tale votum est votum de assumenda aliqua ex omnibus Religionibus, ideoque de omnibus sub disjunctione. Sed quia tentatis pluribus diversorum Ordinum, & ab ipsis repulsus, inde judicare potes ab omnibus te esse repellendum, vel nullam tibi convenire; ideo voto satisfacis, si tot Religiones petas & experiaris, ut prudenter judicare possis ex earum repulsa vel experientia, ab aliis omnibus repellendum, vel eas tibi non expedire: quod colligitur ex causa repulsæ & disconvenientiæ, quæ sit generalis & communis omnibus aliis Ordinibus.

Qui autem vovit determinate unum ordinem, si in una domo illius Ordinis receptus non fuerit; tenetur tentare plures alias ejusdem Ordinis, quandiu est spes probabilis admissionis. Si verò domum particularem ita determinavit, ut aliam ingredi non intende-



rit, nequidem implicite, si sibi non recipiatur, non tenetur alias tentare, sed absolute cessat votum; quia non vovit dimissionem sæculi, nisi dependenter ab ingressu talis loci, & jam conditio sub qua vovit, non est in eius potestate. Si tamen ob aliquod impedimentum temporale non fuit receptus, tenetur eo cessante se iterum offerre, quia ejus admissio videtur solum fuisse dilata ad tempus: secus, si absolute repulsus est, tali impedimento non extante: nam non intendit se ulterius obligare, si absolute repellèretur, alioqui deberet semper manere incertus & suspensus.

Porro qui vovit aliquam determinatam Religionem, potest perfectiorem ingredi, quia hoc est melius. Sed qui ita vovit aliquam Religionem determinatè, ut simul ingressum Religionis, in genere intenderit, tenetur prius conari ut admittatur in illam determinatam, & non admissus tenetur aliam ingredi: quia hoc utrumque vovit; & tale votum est virtualiter duplex, alterum Religionis in genere ac vagè, alterum hujus. Ergo utrumque compleri debet, quantum potest. *Ita Sanchez, &c.*

*Resp. II.* Qui vovit Religionem, tenetur diligenter, ac seriò curare, ut recipiatur, eam ingredi tempore statuto, & sincerè experiri Tyrocinium, & postea profiteri si judicet Religionem illam sibi convenire, atque ad hunc finem adhibere media idonea, & impedimenta quantum in se est amovere: nam ista omnia  
virtua-



virtualiter & implicite vovit, & intendit se obligare ad ingressum Religionis, in ordine ad statum ipsum amplectendum, si conveniat: & alias ingressus esset vanus & inutilis, nec proinde voti materia. Quare voto non satisfacit, si ex sola animi levitate egrediatur: nam ex vi voti tenetur se probare, & de ratione probationis est, ut res probata admittatur si conveniens videatur. *Ita Suarez.* Tenetur autem in his adhibere diligentiam moraliter possibilem: nam, ut ait Sanchez, obligatio Religionis est res gravissima: ac proinde astringere debet ad diligentiam humano modo possibilem, qualem postulant res arduæ & magni momenti. Quod si suâ culpâ effecit ut ejiceretur, vel non reciperetur, tenetur postea serio curare, ut iterum admittatur: nam votum obligat ad non apponendum sponte suâ impedimentum executioni ejus, alioqui esset inane & illusorium. Si verò intra probationis annum bonâ fide factæ, judicet ex causa sufficienti sibi non expedire statum illum, potest relinquere: quia jure communi concessus est annus probationis in favorem tum Religionis, tum etiam ingredientis, ut post sufficiens experimentum possit liberè eligere quod sibi magis expedire judicaverit. Vovens autem Religionem non renuntiat huic favori, sed censetur velle ingredi secundum jus commune & usum ordinarium.

Qui verò vovit etiam profiteri, tenetur

F 4

profi-



## TRACTATUS

profiteri & perseverare, etiamsi ea vitæ norma ei incommoda & difficilis appareat. Ita Azor, Lessius, Layman, & alii multi. nam is vovit absolute, & se obligavit ad profitendum, si iudicaretur idoneus, & ratio vivendi esset tolerabilis; plus enim vovit, quam qui vovit solum ingressum, ut constat ex S. Thom. 2. 2. q. ult. 2. 4. & ex communi sensu ac usu. Unde non ei licet egredi, nisi ineptus sit, vel difficultas tanta sit ut periculum peccandi vel impediendi majus bonum inducat.

Resp. III. Qui vovit Religionem non præfinito tempore, tenetur statim eam ingredi, & supra dicta præstare: quia dilatio minuit rem promissam, nempe, obsequium Dei; nam quo plus differt, eo minus reddit Deo, cujus obsequio promisit se totum vitæ suæ tempus daturum in Religione, si hæc ei conveniat. Ita Sanchez, De Lugo, & alii.

## CAPUT III.

### *De Obligationibus Conjugum.*

Q. I. **Q**uenam sunt Obligationes Conjugum inter se?

Resp. Ex communi, omnium sententia tenentur simul cohabitare & convivere, ex Gen. 2. & Matth. 19. *Dimittet homo Patrem & Matrem, & adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* nam hanc cohabitationem non solum